

# PRÆFATIO.



*Quæ supra nos, nihil ad nos, non omnino male quondã astrognosia præferens morum emendationem, paganus dixit Socrates. At multo forte rectius Christianus dicere poterit: Quæ infra nos, nihil ad nos.* Quippe cujus cor & animus, relictis & conculcatis inferioribus, sursum feruntur: qui superna sapit, & quærit, illic existentia, ubi Christus est sedens ad dextram **DEI.** Et profecto etiam *quæ circa nos, nihil ad nos,* quorum non est ea sapere quæ in terris sunt: quorum conversatio & negotiatio est in cœlis. Cumque Paulus de iis qui extra ecclesiam sunt, extra regnum cœlorum vagantur, dicat: *Quid ad me etiam extraneos judicare?* Quid quæso ad nos judicare, curare, considerare in extimis tenebris constitutos, catenis tenebrarum ad tartara detrusos? Verum tamen quis est, quem lateat, eam esse hominum etiam Christo additorum miseriam, ex quo semel primus humani generis parens Satanæ fraudes in se incaute admisit, ut, quamdiu mortalem hanc vitam vivimus, multo jam magis Satanæ fraudibus fimus expositi? Quantumcunque sanctâ mentis elatione caput inter sidera gestaverimus, quamdiu tamen pedibus terram adhuc tetigerimus, h. e. ut Paulina phrasi rursus utar, quamdiu ex mundo non exiverimus, quoad terrenæ hujus, domus nostræ tabernaculum dissolutum non fuerit: nunquam non & ea quæ circa nos, & ea quæ infra nos sunt, nos ad se trahere tentant, & à supernis abstrahere. Quinimo *lucta nobis semper est non modo ad versus carnem & sanguinem, sed etiam adversus imperia, & potestates, & mundipotentes ipsarum illarum tenebrarum seculi hujus.* qui adeo etiam in cœlos nobiscum **ascen-**

Col. III, 2, 10

Col. III, 2.  
Phil. III, 20.

1 Cor. V, 12

1 Cor. V, 10  
2 Cor. V, 1

Eph. VI  
126

A

adscen.